





15  
P. 15. num. 40

1775/49

EXERCITATIO IVRIS CIVILIS  
AD  
L. XXXI. §. I. D. DEPOSITI  
VEL CONTRA

Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

CHRISTIANO RAV

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE

A. D. XXII. FEBRVAR. CIOCCCLXXV.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

CHRISTIANVS GOTTLOB STARKE

HVBERTIVRGO MISNICVS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



EXECUTATIO IURIS CIVILIS

L. XXXI. §. I. D. DEPOSITI

VEL CONTRA

IN REBUS QUAE SONT IN DOMINIUM

PERPETUUM

CHRISTIANVS GOTTLIB STARKE

PROFESSOR IURIS CIVILIS

IN UNIVERSITATE HALLENSI

ANNO

MDCCCLXXXIII

CHRISTIANVS GOTTLIB STARKE

PROFESSOR IURIS CIVILIS

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEIMI





**I**n materia depositi cum multae aliae notabiles et expositione haud indignae quaestiones occurrunt, quemadmodum in vniuersum in iuris ciuilis ea doctrina, quae de obligationibus siue ex vero siue quasi e contractu oriundis praecipit, tum maxime haec, vtrum depositarius etiam latroni, praedoni et furi rem depositam reddere teneatur, et ab his ad restituendam eam adeo depositi actione compelli queat? Elegantissime fatentibus ipsis Guilielm. Marano in *var. tract. Iur. ciuil. Tom. III. Opp. eius*, quae Tolosae ao. 1672. in folio edita sunt p. 121. nec non Franc. Connano *Comment. Iur. ciuil. Lib. VII. cap. 4.* edit. quae Neapoli ao. 1724. in fol. duobus tomis prodit, *Tom. poster. p. 90. seq.* hanc quaestionem tractauit ICrus in *L. 31. §. 1. D. depositi vel contra.* Neque nos operam male collocaturos esse existimamus, si scribendi necessitate nobis nunc imposita totum hoc, de depositario etiam latroni, praedoni ac furi ad depositum restituendum obstricto, argumentum, cui modè excitatum veteris Prudentis fragmentum occasionem praebuit, curate exponere instituamus, paucis antea, quantum instituti ratio patietur, in naturam depositi in vniuersum inquisitioni.



## I.

Deposítum, ne vocis notionem inexplicatam relinquam, aut de ipsa re alterius custodiae commissá usurpatur, quo sensu *L. 1. pr. D. depof.* occurrit, aut de contractu, quo numero habetur *L. 23. D. de R. I. et §. 3. I. Quib. mod. re. contr. oblig.* Vnde interpretes et ob *L. 19. D. de V. S. et L. 1. §. 16. et 23. D. depof.* describunt, per contractum iuris gentium bonae fidei, quo res alicui gratis ea lege datur custodienda, vt quocumque deponenti visum fuerit, ei non deterior facta restituatur: quam definitionem late exposuit Ger. Noodt *ad Dig. tit. depof. Tom. II. Opp.* De indaganda vocis *depositi* origine ac derivatione, quam Isidorus *de Origin. Aeg. Menagius Amoen. Iur. c. 39.* et ipse Vlpianus *Lib. 30. ad edict. in L. 1. pr. D. h. t.* quamquam diuersimode tradiderunt, haud sollicitus ero, cum videam hac in re orium mihi iam factum esse a Connano *c. l. p. 83.* et Noodtio *c. l.* qui et praeter Barn. Briffonium *de V. S. sub h. v. verbi deponere* non solum antiquam et propriam, sed etiam translátam sermonisque vsu deinceps introductam significationem, vocatá in auxilium Nonii Marcelli et Serui *ad Virgil. Aen. Lib. XII. v. 395.* quin etiam ipsius Plauri ac Ciceronis auctoritate copiose, eleganterque explicauerunt. Conf. quoque Philip. Vicat *in Vocabular. vtriusq. Iuris Parisiis 1759. III. Volum. in. 8.* edito. Vlpianus autem, obseruante hoc Noodtio, dum *c. l.* scripsit, depositum dictum ex eo, quod ponitur, innuit, conventionem hanc vltro citroque obligantem *L. 19. D. de V. S.* non perfici ante, quam re tradita, aequae caeteros reales contractus, cum res deposita ne custodiri quidem possit, nisi tradita, et quo verbum *datum*, quod alias dominii translationem denotat *L. 75. §. ult. D. de Verb. Oblig.* caute acciperetur, adiecto *custodiae* vocabulo temperauit, vt datum sit positum siue traditum custodiae gratia, sufficiatque nuda detentio, neutiquam vero dominium, neque possessio neque vsus in depositarium transferatur, vt clare ostendit Florentinus *L. 17. §. 1. D. depof.* Caeterum quem maxime habeat depositi conventionem ineuntes finem sibi propositum; quando haec etiam in mutuum, commodatum, locationem, conductionem, mandatam, aut contractum innominatim degeneret, cur gratuitam eam oporteat esse, cur in iure nostro

nostro ignotum sit rei immobilis depositum, et quale tunc negotium oriatur, cum immobilis rei custodia alicui commendata dicatur: haec omnia, quia factis iam exposuerunt interpretes ad *I. et D. in primis Noodtius c. l. Vlr. Huberus ad I. c. t. §. 10. Ant. Schulingius ad Pauli Rec. Sent. II. 12. 10. in Iurispr. Anteiust. p. 281.* et Io. Gottl. Heineccius ad *Digest. tit. Depos. §. 217. seq.* non attinet copiose edisserere. Nec debeo observare, verbum *commendare*, quia depositum non fit sine commendatione et respectu amicitiae pro *deponere* accipi, hoc enim multis *Digestorum, Codicis et Iuris Canonici locis*, atque ingente interpretum, hanc vocis notionem illustrantium multitudine probatum dedit *Fraunciscus Ramos del Manzano ICtus Hispanus et Salmanticensis Antecessor ad L. 1. §. vlt. D. depos. ep. Meermann. in Theor. Iur. Tom. VII. p. 36.* Id vnum adiucio, deponendi et commendandi verba nonnunquam coniungi, vt apud *Ambrosium de Tobia cap. 20. Tom. II. p. 597. edit. Parisiens. quae V. Tomis prodiit, vbi: commendatum autem et depositum quod custodiae causa alicui commissum.* Depositum autem abnegare, quam dirum crimen veteribus in vniuersum sit visum, quaque poena de eo vel negando cogitantes a Diis affici crediderint, et quam sancte ipsi veteres Christiani se inuicem obstrinxerint ad depositum reddendum, demonstrant exempla, quae partim *Grangaeus ad Iuuenal. Satyr. XIII. v. 61.* e *Plutarchi Demosthene*, partim ex ipso *Iuuenali Sat. 2ad. v. 15. et v. 199 — 210.* eiusque veteris Scholiasta ad *h. l. historiam*, ad quam poeta posteriori in loco respexit, ex *Herodot. Histor. Lib. VI. c. 87.* plenius referente, nec non e *Plinii Lib. X. epist. 97.* commemorauerunt *Nic. Hier. Gundlingius in Obl. de poena denegati depositi vernaculo sermone scripta §. 5. 6. 7. et 10. in Gundlingian. Part. II. n. 8.* e quo etiam nonnulla repetit *Heineccius Ant. Rom. ad Inst. Lib. III. tit. 15. §. 31.* qui tamen, vt hoc moneam, locum ex *Isaac. Casauboni Lediionibus Theocriteis*, ad, quas prouocat, falso enarravit. Neque enim *Cataubonus* dixit veteres sibi persuasisse, eos, qui depositum negassent, dentes amittere. Sed *c. l. cap. X. Edit. Cl. Reiskii Tom II. p. 99.* tantum obseruat, vti et rectius docet *Gundlingius c. l. §. 4.* veterum Graecorum, et notante hoc *Scaliger ad Propertium etiam Romanorum, fuisse hanc superstitionem*

tiosam opinionem, ut eos, quibus in naso, vel lingua, tubercula, ut sic, aut alia huiusmodi cutis vitia in aliqua eius parte orirentur, putarent vel mentitos esse, vel depositum non reddidisse, vel aliquid denique fraudis admisisse. Tetigit certe hanc religionem Theocritus in *Idyll. IX. v. 30.* et in *XII. v. 23.* Locos commemorarunt Casaubonus *c. 4.* et Gundlingius *c. 1.* Romanos potissimum religionis in depositi contractu seruando arguit rigor Legis XII. Tab. a Iac. Gothofredo ad *LL. XII. Tab. in quat. font. Iur. ciuil. Tab. III.* his verbis expressae: *Si quid endo deposito dolo malo factum est, duplione luito.* Omnem enim omnino, qui depositum inficiabatur doloque malo reddere detrectabat, Decemviri sine discrimine in duplum actione non tantum ad fructus restituendos, sed ad ipsam rem traditam custodiam illius praestandam, ut Ian. Vinc. Grauius ad *L. XII. Tab. LI. p. 353.* et Schultingius ad *Collat. Leg. Mos. et Rom. c. 1. p. 771.* aduersus Marcilium *Interp. XII. Tab. XV. p. 70.* euicerunt, conueniri volebant, tanquam furem nec manifestum *L. 13. §. 1. D. de pos.* licet postea Praetor Legis Decemviralis seueritatem temperans introducto discrimine depositi in simplex et miserabile, prout quis aut extra necessitatem fatalem, aut tumultus, incendii, ruinae, naufragii imminens causa rem suam alterius curae commiserat, illius nomine in simplex, huius contra in duplum actionem aduersus depositarium edicto concesserit. Tradit hoc Paulus *Rec. Sent. II. 12. II. ap. Schulting. c. 1. p. 281.* et manifesto probant ipsius edicti verba, quae seruauit Ulpianus *L. 1. §. 1. D. h. t.* *Quod neque tumultus, neque incendii, neque ruinae, neque naufragii causa depositum fit in simplex, earum autem rerum, quae supra comprehensae sunt in ipsum in duplum: in heredem eius quod dolo malo eius factum esse dicitur, qui mortuus fit in simplex; quod ipse in duplum iudicium dabo.* Retinuimus nempe Accursii lectionem, quam et Haloandri atque Vintimilii editiones produnt, cum sistat veterem loquendi formam ipsi Noodtium quoque probatam, qui reiecta lectione (*ex*) earum autem causarum: quam membrana Tusca exhibet, non solum illius sensum eleganter reddidit, sed etiam verba, quibus Ulpianus *L. 1. §. 2. D. h. t.* declarauit, Praetorem vulgare depositum a miserabili iustissime distinguere, vberius exposuit. Iac. Cuiacium in *Paratitl. C. de pos.*





*depos.* et Petr. Pithoeum *ad Collat. Legg. Mos. et Rom. X. 7. c. 1. p. 771.* existimantes, poenam hanc tantum inficiando creuisse, vt in aliis fieri solitum sit, satis iam confutarunt Schultingius *ad c. 1. et Heineccius c. 1.* quorum quidem rationes hic non iuuat reperere. Genuina caeterum ratio, cur actio ad depositum miserabile tendens non intra annum tantum instar aliarum actionum Praetoriarum *L. 35. D. de oblig. et action. sed in perpetuum detur, vt Neratius L. 18. D. h. t. pronunciat,* adeoque tanquam ciuilis consideranda sit, inde petenda, quoniam poena dupli non e solo Praetoris edicto, verum iam e lege ciuili a Praetore tamen mutata descendit. Omnes enim actiones poenales non origine Praetorias, sed ciuiles, at immutatas correctasque a Praetoribus non annales, verum potius perpetuas esse docuit Heineccius *Hist. Iur. Rom. Lib. 1. cap. 3. §. 68.* Quid autem deponens et depositarius mota ab illo directa aduersus hunc, et ab hoc contraria aduersus illum actione praestare sibi iniucem teneantur, id vel Compendia Iuris ciuilis docent. Iuuat tantum obseruare, indemnitate, quam depositarius consequi cupit, tam per exceptionem, si actio directa seu principalis, quam vltro per actionem contrariam, si non directa sit instituta, postulari posse. Exemplum indemnitate iure exceptionis petite apud Modestinum *L. 23. D. h. t.* notauit et docte explicauit Noodtius *c. 1. qui etiam quaestionem, quae ipsis veteribus, vt ex Vlpiani L. 7. §. 1. D. h. t. videmus, tractatione haud indigna visa, cur, cum actiones ex delicto non soleant aduersus heredes dari, nisi in quantum ad eos peruenit, tamen depositi actio, licet ex delicto et dolo veniens aduersus heredem in solidum detur? accurate soluit. Neque incognitum est, Praetorem depositi suo nomine, non contrario iudicio damnatos infames esse iussisse edicto illo, cuius verba seruauit Iulianus *L. 1. D. de his qui not. infam. cf. etiam L. 6. §. 7. eod. et L. 10. C. depos.**

## II.

Cum autem depositarius ad rem curae suae commissam cuius deponenti reddendam tam firmo iuris vinculo teneatur, vt adeo compelli actione possit; quaestio nunc incidit, an etiam latroni, praedoni ac furi, quae apud alterum deposuerunt, a deposita-



positaris restituere debeant? Tractat eam ICtus L. 37. §. 1. D. de pos-  
 quem locum illustrare nobis proposuimus. Verba illius, quae  
 ante omnia hic subiicienda sunt, in Codice Florentino sic leguntur:  
*Incurrit hic et alia inspectio, bonam fidem inter eos tantum quos con-*  
*tractum est, nullo extrinsecus adsumpto aestimare debemus: an respe-*  
*ctu etiam aliarum personarum, ad quas id quod geritur pertinet? ex-*  
*empli loco, latro spolia quae mihi abstulit, posuit apud Seium inficium*  
*de malitia deponentis: utrum latroni, an mihi restituere Seius debeat?*  
*si per se dantem accipientemque intuemur, haec est bona fides, ut*  
*commissam rem recipiat is qui dedit, si totius rei aequitatem, quae ex*  
*omnibus personis quae negotio isto continguntur impletur, mihi reddenda*  
*sunt: quo factio scelestissimo adempta sunt. et probo hanc esse iustitiam,*  
*quae suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personae iustiore*  
*repetitione. quod si ego ad petenda ea non veniam, nihilominus ei restitu-*  
*enda sunt qui deposuit, quamvis male quaesita deposuit. quod et Mar-*  
*cellus in praedone, et fure scribit. Si tamen ignorans latro cuius*  
*filio vel seruo rem abstulisset, apud patrem dominum eius deposuit*  
*ignorantem, nec ex iure gentium consistet depositum. cuius haec est*  
*potestas, ut alii, non domino, sua ipsius res quasi aliena seruanda*  
*detur. Et si rem meam fur, quam me ignorante subripuit, apud*  
*me etiam nunc delictum eius ignorantem deposuerit, recte dicitur non*  
*contrahi depositum: quia non est ex fide bona, rem suam dominum*  
*praedoni restituere compelli. Sed etsi etiam nunc ab ignorante domi-*  
*no tradita sit quasi ex causa depositi, tamen indebiti dati conditio*  
*competet. Est huius fragmenti, quemadmodum ex inscriptione*  
*patet, auctor, ut et de eo pauca quaedam notemus, Tryphoninus,*  
*praenomine Claudius, sicut id producit L. 58. D. de administr. et*  
*peric. tutor. et inscriptio L. 1. C. de iud. et coelic. qui etiam in ali-*  
*quot inscriptionibus fragmentorum in Digestis Florentinis, quae*  
*Taurellius edidit, Truphoninus, ut solebant librarii has literas*  
*saepe commutare, a Glandorpio autem in Onomasti. Hist. Rom.*  
*p. 239. quem mendosus Lampridii locus in Alex. Seuer. c. 68. de-*  
*ceperat, et ab Haloandro bis Tryphonius, ab Angelo Politia-*  
*no tandem Lib. V. epist. 9. et Valent. Forstero Hist. Iur. Rom.*  
*Tryphonianus male ac perperam vocatur. Exiit is clarus ICtus*  
*sub Septimio Seuero et Antonino Caracalla Imperatoribus, a quibus,*  
 postquam

postquam a Q. Cernidio Scaeuola, vt admodum probabile reddidit Iac. Cuiacius in *Praef. ad Scaeuol. respons.* et hunc qui secutus est C. L. Conradi de *Vit. et script. Ceru. Scaeuolae c. 8.* Iurisprudentiam didicit, ad magnos etiam honores euectus fuit, quippe in auditorio Papiniani Praefecti Praetorio adfessor, et postea Syriae Provinciae Praefes. Quae omnia copiosius enarrare, et argumentis, quantum fieri poterat, corroborare studuimus in *Diff. de Claudio Tryphonino ICTo Romano ao. 1768.* edita. Tryphoninus autem noster, qui etiam ingenii monumentis inclaruit, praeter notas ad Scaeuolam quas fragmentis, quae ex huius ICTi libris Digestorum et Responsorum in Pandectis prostant, breuiter subiectas opinatur Brissonius *Lib. 3. de V. S. edit. Heinect. p. 199.* quae in Retefio Scholae Salmanticensis Antecessore elegantem interpretem inuenerunt *ap. Meermann. in Thes. Iur. Ciu. Tom. VII.* scripsit quoque libros XXI. Disputationum, in quibus exemplo Venuleii Saturnini et Vlpiani quaestiones publice tractatas et in Principum auditoriis decisas euulgauit, aut quae est Cuiacii *ad L. 2. §. 5. D. de O. I.* et Iac. Raeuardi de *Auct. prud. c. 14.* de talibus veterum prudentum libris sententia, vsum fori auctoritatemque ICTorum complexus est. Atque ex horum quidem librorum Tryphonini nono sex fragmenta in Pandecten translata sunt, quae excitauit Labittus in *Indis. Pand. ap. Abr. Wielingium in Iurispr. restit. p. 254.* et ordini suo integra restituit V. S. R. atque Illustr. C. F. Hommelius in *Paling. Iur.* inter quae nostra *L. 31. D. de pos.* primum locum tenet. Sed ad ipsam L. eiusque i. §phum, in quo maxime sermo est de principe argumento, quod commentari volumus, explicandum propius accedamus. Aq̄ primum quidem ICTus ea in L. de aequitate naturali et praeceptorum ciuiliu valore in vniuersum disputat, et ostendit, in bona fide, quae in contractibus exigitur, et summam aequitatem desiderat, aestimanda, non semper solius iuris gentium i. e. naturalis, sed saepe numero etiam iuris ciuilis, et magis legum ordinis rationem habendam esse. Illustrat id exemplo eius, qui capitalis criminis accusatus apud alterum centum deposuit, postea vero deportatus est eiusque bona publicata, et pronunciat secundum naturale et gentium ius illa centum quidem deponenti, restituenda, verum e lege ciuili magis in publicum id est fiscum



esse deferenda. Sed huic priori legis parti explicandae, cum haud faciat ad rem nostram, non inhaerere lubet, et copiose eius sententiam ac docte interpretatus est Maranus *ad h. l. c. l.* Vocat nos potius ad se altera eius pars, quam illustrare animus est. In hac autem Ictus potissimum quaestionem mouet, vtrum bonam fidem inter eos tantum, quos inter contractum est, an respectu etiam aliarum personarum, quae negotio isto continguntur, id est, quarum interest, ex eadem bona fide non tam deponenti, quam ipsis potius, qui forte domini sunt aut bonae fidei possessores, rem restitui, aestimare debeamus? Et quo rem clariorem reddat, exemplum adfert latronis, qui spolia, quae alicui abstulit, apud alterum inscium de malitia deponentis posuit, i. e. deposuit. Latronis vocabulum Vicat *l. c.* obseruat ex eorum numero esse, quae ab honesta origine in inuidiam postea abierunt. Latrones enim Varro *Lib. VI. de lingu. lat.* ait dictos a latere, quia regi circum latera erant habentes ad latera ferrum, quos deinde a stipatione Stipatores adpellarunt: et qui mercede conducebantur, quam Graeci *λάτρον κει σάτρον* dixerunt. Veteres Poetae nonnunquam milites adpellarunt latrones, quod irent, vt alii milites cum ferro, aut quod laterent ad insidias faciendas. Seruius *ad Lib. XII. Aen. Virg.* Et Festus docet, ab antiquis latrones eos dictos esse, qui conducti militabant *ἀπὸ τῆς λατρείας*. Hodie viarum obfessores ita dicuntur, quod a latere adoriuntur, vel quod latenter insidiantur. In *L. 24. D. de capt. et possi.* et *L. 118. D. de V. S.* latrones appellantur, qui nullo indicto bello praedantur, sed armati aggrediuntur homines et vi spoliant, quo sensu et hic occurrunt, et in *tit. C. de his qui latron. vel alter. erimin. reos occultau.* nec non *L. 6. C. de defens. ciuit.* Ab illis differunt praedo et fur. Nam praedo est, qui nullum titulum, causam possidendi nullam habet, deinde quilibet iniustus et malae fidei possessor. Locos iuris civilis hunc significatum probantes largiter conduxit Vicat *c. l.* Recte tamen obseruant Cuiacius *ad L. 126. D. de R. I.* et Ant. Faber *ad L. 13. §. 8. D. de hered. petit.* non omnem malae fidei possessorem esse praedonem, licet omnis praedo malae fidei sit possessor, quia hic nullum plane, ille contra titulum aliquem habet, quem certe fingit, vt colorem possessionis suae adferat. Praedo igitur res  
aliis

aliis sine vi ablatas nullo iure detinet. Fur dolo malo rem alienam contrectat et quidem fraudulenter lucri faciendi causa *L. 1. §. 3. D. de furt. et Paul. Rec. Sent. II. 31. 1.* Spolia proprie dicuntur hostium, quamvis et latrones, qui honestissima saepe nomina sceleratissimis factis suis imponunt, res per vim ademptas magnifico spoliolorum nomine soleant appellare, ut scribit Heliodorus *Aethiop. hist. Lib. I.* Deinde spoliolorum significatio in vsu iuris latissime pertinet ad ea quibus quocunque modo exuimur: hic, ut Noodius *c. 1. et Ant. Dad. Alteserra ad Tryphonini Libros XXI. Disput. qui vna cum recitationibus ad varias partes Dig. et Cod. Tolosae 1679. II. Vol. in 4. prodierunt p. 62.* obseruant, ICTus spoliolorum appellatione designauit vestem, quam latro alicui detraxit, ut et Vlpianus *L. 6. D. de bon. damn.* et Tertullianus *de resurrect. caru c. 7. ita quod hodie spoliolum efficitur, si detrahatur, hoc fuit indumentum cum superstruebatur: etc. 12. c. 1* Quippe etiam terrae de coelo disciplina est, arbores vestire post spolia. Malitia denique quae ut plurimum pro dolo et calliditate dicitur, et *L. 1. pr. D. de dol. mal.* opponitur simplicitati, h. l. in vniuersum pro delicto vsurpatur, ut *L. 1. §. 3. D. de seru. corrupt.* Iam in soluenda quaestione vtrum latroni spolia, an ei cui adempta sint, restitui debeant, Tryphonius sic procedit. Nempe cum e contractu solum teneantur, qui contraxerunt, et inter ipsos tantum obligatio vim pariat, quae vltterius non extendi debet, quod iure naturali aequae ac ciuili seruatur, primum pronunciat, spolia haec latroni, non alii, quia is extrinsecus assumitur, cuique depositarius e depositi conuentione haud tenetur, quam cum latrone tantum inerat, reddenda esse. Ait enim: *Si per se dantem et accipientem intuemur, haec est bona fides, ut commissam rem recipiat is qui dedit.* Et sane cum fides auctore Cicerone *de offic. Lib. 1.* in dictorum conuentorumque constantia ac veritate consistat, et nihil tam congruum humanae fidei, ut Vlpianus *L. 1. pr. D. de pact.* scribit, quam seruare ea, quae inter contrahentes placuerunt, ipsa denique depositi conuentione locum inueniat inter contractus bonae fidei, cui non conuenit abnegare id, quod quis accepit, sed reddere ei, a quo accepit *L. II. D. de posf.* indeque actio enata bonae fidei dicatur, ICTus his omnibus conuenienter decedit, in proposita specie depositarium etiam



latroni committenti ad restitutionem obstrictum teneri, neque huic aduersus illum actionem denegari posse. Neque fuit alia mens Iustiniani in *Nov. LXXXVIII. c. 1.* et Glossatorum in *Auth. Sed iam cautum C. depof. vel contr.* vbi nominatum definitum, ne in deposito contractu personae extrinsecus venientis ratio habeatur, aut illius interdictioni pareatur, sed vt res insuper habita denunciatio-  
 ne alterius restitutioni interuenientis nihilofecius deponenti red-  
 datur, quia intercedens ille, si velit, agere potest aduersus ipsum  
 depositorem, neutiquam vero aduersus depositarium, quo cum  
 nempe nunquam contraxit. Quod si igitur non venit verus do-  
 minus cui spolia adempta ad petenda ea, Ictus *h. l.* recte censuit,  
 nihilominus restituenda esse ei, qui deposuit, quamuis male quaes-  
 ita, nempe latrocinio erepta, quia de sola bona fide agitur, quae  
 non debet ad perfidiam trahi. Atque testimonium denunciati Mar-  
 cello, qui scribit idem in praedone ac fure obtinere. Marcellus  
 nempe Ictus, quem sub Antonino Pio, et Commodo vsque ad  
 Antonini Philosophi imperium floruisse probauit Meinardus Ty-  
 demann in *diff. de Lucii Vlpii Marcelli vita et scriptis Sect. I. Cap. 2.*  
*§. 1. 2. et 3. in Oelrichii Thes. nou. Diff. 1. in Acad. Belgic. habit. Vol.*  
*Tom. I. p. 10. seq.* hanc sententiam proposuit in Libro 6. Digestorum,  
 et putat eos quoque depositi acturos, recte, vt Vlpianus *L. I. §.*  
*39. D. depof.* notat adiecta simul ratione: *nam interest eorum, eo*  
*quod teneantur.* Ad quem locum Mornacius ad *Dig. in Opp. Tom.*  
*I. p. 615.* et Bodinus de *Republ. Lib. I. cap. 1.* obseruant, id non  
 in gratiam aut commodum praedonis et furis statutum Legibus esse,  
 sed in odium eorum, depositum qui negant. Neque mirum vi-  
 deri debet, etiam latronem depositum petere et depositario actio-  
 nem minari posse. Colorem enim aliquem latrocinio dare, quo id  
 occultet, aut criminis huius nondum conuictus esse, aut per pro-  
 curatorem illud repetere potest.

## III.

Sed cum in causis quibusdam obuientibus haec decidendi  
 norma, licet rationi iuris et naturae contractus depositi adcommo-  
 data, locum habere haud possit, quandoquidem alia maior, alio-  
 rumque hominum vtilitatem respiciens obligatio depositarium non-  
 nun-

nunquam tenet, ICtus haec omnia intelligens, et simul docere cupiens, bonam fidem respectu etiam aliarum personarum, ad quae id quod geritur, pertinet, aestimari oportere, aliam quoque suggerit decidendi rationem desumptam ab aequitate, quae non tota terminatur finibus conventionis, sed latius etiam profertur ad eos, qui non contraxerunt, quorum tamen magis iusta et longe firmior causa est. Itaque vult, ut spolia magis domino superuenienti, cui adempta sunt scelere latronis, quam huic raptori restituantur: *Si totius, inquit, rei aequitatem, quae ex omnibus personis, quae negotio isto continguntur, impletur, mihi reddenda sunt, quo, aut ut Noodtius c. l. legi mavult, quoi, id est cui facto sceleratissimo adempta sunt.* Nam aequitas, quam veteres quoque iustitia continuerunt, quin etiam tanquam Synonima adhibuerunt, ut *L. g. C. de iudic.* id postulat, haec omni amicitia pactioibus ac conventionibus cunctis antiquior longe atque praestantior habetur. Rationem autem decisionis elegantem suppeditat his verbis: *et probo hanc esse iustitiam, quae suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personae iustiore repetitione.* Vides igitur exceptionem, ubi depositarius, quamquam e bonae fidei contractu latroni, si erga eum iuste vivere velit, deposita apud se spolia reddere tenetur, tamen si rescivit, alii ab ipso nunc repetenti, latronem per vim ademisisse, ob maiorem sibi impositam obligationem, potius vero domino, cuius magis valida causa est, quoque nemo alius habetur, qui iustus ea repetere possit, licet huic non proprio suo facto id est contractu inito se obstrinxerit, restituere debet. Hoc enim exigit bona fides, id est, aequitas naturalis. Recte profecto observat Noodtius *Probab. Jur. civil. Lib. III. cap. 2.* ad illustranda verba Ulpiani in *L. 10. D. de iust. et iur. ius suum cuique tribuere*, petenti suum non simpliciter, neque semper, sed distincte tribuendum esse, si aequum et bonum, neque publicae, aut privatorum hominum utilitati nociturum sit. Certe Cicero *Lib. I. de Offic.* cuius locum iam laudavit Comnanus *c. l.* etsi manifesto ostendit, nihil esse aequae conveniens officio iusti et boni viri, quam ius suum cuique tribuere: tamen id non semper fieri debere docet, neque indistincte, sed cum ratio humanae societatis id postulet. *Invidunt saepe tempora, ait, cum ea quae maxime videntur digna esse*



*ius*to homine eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria, ut non reddere depositum, promissum facere, quaeque pertinent ad veritatem et fidem ea migrare interdum, et non seruare sit iustum; et paulo post: contra officium est, maius non anteponi minori. Et faciunt quoque hic locus e *Lib. 3. de Offic.* Promissa non facienda nonnunquam, neque semper deposita reddenda, et alius Senecae *Lib. IV. de benefic. cap. 10.* depositum reddere per se expectanda res est: non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. Caeterum tamen noluit Tryphoninus *h. l.* docere, ex contractu depositi cum latrone inito, depositarium domino obligationem civilem acquirere. Huic enim nulla aduersus depositarium actio datur, quicquid etiam glossa dicat. Potest quidem dominus aduersus hunc rei vindicatione experiri *L. 9. D. de R. V.* vbi, ne hoc sileam, ab auctoribus vulgatae editionis in verbis: *puto autem ab omnibus, qui tenent et habent restituendi facultatem, peti non posse*, frustra et male particula negatiua adiecta, vt obseruat Sigism. Reich. Iauchius in *Meditat. critic. de Negation. Florent. cap. IV. p. 18.* Nec negatur illi certi conditio. Sed prior illa actio non e contractu, verum potius ex iure, quod domino in re deposita competit, descendit, et haec licet ex aequo et bono aduersus depositarium detur *L. 32. D. de reb. cred.* tamen cum hic maxime quaeratur, quale sit officium depositarii, vt nempe ex bona fide non latroni depositori, sed ipsi domino restituere spolia teneatur, si haec redderet iudicis sententia condemnatus, non iam ex bona fide, sed necessitate compulsus, dum iudicium datur aduersus inuitum *L. 83. §. 1. D. de V. O.* restituere dici possit. Nec si reddit ex bona fide, asseri potest, eum ipso e depositi contractu reddere, et inde sequi, vt vis et obligatio contractus domino quoque, qui tamen neutiquam inuit conuentionem, profit. Contractus enim, vt Celsus *L. 32. D. de reb. cred.* scribit, non nisi inter consentientes fieri potest. Solum inde bona fides et aequitas oriuntur, quia spolia domino per vim ablata ad depositarium peruenerunt, cum ab hoc sine causa teneantur, ab hoc quoque restitui domino bonum et aequum sit. *et. l.* Nec depositarius restituendo depositum domino vero se iudicem gerit, et pro arbitrio controuersiam deponentem inter et dominum finiendi



endi potestatem sibi arrogat. Nam in re nota et indubia et quando publice certum est, repetentem esse dominum, aut palam constat, ei spolia per vim erepta esse, cum non opus sit inquisitione ac percontatione, confestim restituere potest, nec necesse habebit metuere ullius reprehensionem. Neque se ipsum in periculum conicit depositarius, si forte non sit verus dominus cui restituerit, aut de dominio non ita constat, quia tunc, aut ubique dubitatio suberit, cautionem ab eo, cui restituit exigere pro indemnitate potest, ut iubet Iustinianus *L. pen. C. de pos.* Nec obstat Nou. 38. supra iam laudata indeque desumpta Authentica. Neque enim agunt haec loca de domino ipso depositum petente, sed de eo qui deponentem sibi obligatum esse contendit, et depositario in scriptis denunciavit, ne depositum restitueret. Quae omnia copiose docuit, cui nos plurima debemus, Maranus *c. l. Aliam exceptionem*, ubi latroni non restituendum depositum continent haec verba *l. Cti: Si tamen ignorans latro, cuius filio vel seruo rem abstulisset, apud patrem dominumve eius deposuit ignorantem: nec ex iure gentium confisset depositum; cuius haec est potestas, ut alii, non domino sua ipsius res quasi aliena seruanda detur.* Cum enim filius et seruus in patris et domini imperio ac potestate constituti sint, et neuter proprii aliquid habere et acquirere sibi soli possint, nisi forte filius bona aduentitia habeat, quorum dominium patri haud competit, illis ab ignorante nexum hunc patrem inter et filium et seruum ac dominum latrone ablatae res, depositae apud patrem et dominum utpote harum ipsarum rerum dominos, ab his latroni restitui haud possunt. Neque enim huic ex contractu obligantur, quippe nulum plane inierunt, cum depositi contractus, qui plane iuris gentium est, eiusque simplicitatem retinet, non accepta noua forma a iure ciuili, et a peregrinis aeque ac ciuibus Romanis iniri potest, neque ullam desiderat solemnitatem, natura talis sit, ut semper alii, non ipsi domino res sua tanquam aliena seruanda committatur. Alias enim foret depositum rei propriae, quod non valet, et naturae huius conuentionis prorsus repugnaret, nec posset qui rem suam deponi apud se patitur depositi actione teneri, ut Iulianus *L. 15. D. h. t.* scribit. Nec habebit, etiamsi alias furi depositarius teneatur rem alteri furto ablatam et apud se depositam reddere, locum



locum restitutio depositi in ea specie, quam Tryphonius his verbis proposuit. *Et si rem meam fur, quam me ignorante subripuit, apud me etiam nunc delictum eius ignorantem deposuerit: recte dicitur non contrahi depositum.* Aduersatur enim hoc naturae contractus depositi, et foret ridiculum, eum, qui pleno iure dominus sit, et pro arbitrio re sua uti possit, eam suscipere ab alio depositi titulo, quo tantum semper alienas res accipimus. It adiiicit rationem quia non est ex bona fide, rem suam dominum praedoni restituere compelli. Nam praedo nullam iustam causam possessionis habet *L. II. et 12. D. de heredit. petit.* dominum autem compellere, ut rem restituat suam ei, nec aequitas naturalis, nec leges civiles patiuntur. Ostendit tandem etiam Icius, si ab ignorante domino iam tradita sit latroni et furi res, quasi ex causa depositi, tamen illi indebiti dati conditionem competere. Cum enim illa traditione facta a domino ignorante in latronem et furem transferatur naturalis possessio, non civilis, ut perperam glossa dicit, quae etsi alias in deposito penes depositorem manet, tamen hic in contractu nulliter celebrato apud ipsum neque fuit, neque unquam penes latronem et furem fuisse probabili ex ratione dici potest, dominus a quo ignorante naturalem possessionem isti adepti sunt, eam condicere valet tanquam indebitam, quia ne naturaliter quidem rem suam tradere illis obstructus erat.



Leipzig, Diss., 1775 K-2

ULB Halle


005 359 015



3







*15*  
P. 15. num. 40

*177549*

EXERCITATIO IVRIS CIVILIS  
AD  
L. XXXI. §. I. D. DEPOSITI  
VEL CONTRA

*P. 209*

Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E  
CHRISTIANO RAV

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE  
A. D. XXII. FEBRVAR. CIOCCCLXXV.

H. L. Q. C.

DEFENDET  
CHRISTIANVS GOTTLOB STARKE  
HVBERTIVRGO MISNICVS.

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

